


Johann Peter Grünenberg

**Programma, Quo Universitatis Rostochiensis Rector Johannes Petrus
Gruenenberg/ Ph. Et S. Theol. D. ... Circa Michaelis Festum O. O. O. Civibus
Academicis piam angelorum reverentiam, gratamq[ue] erga Deum mentem iusta
humanitate commendat : [P. P. Sub Sigillo Rectoratus ipso Michaelis Festo Anno
MDCC.]**

Rostochi[i]: Weplingius, [1700]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734011717>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

—
1700 Michaelis

~~M-1256. 77.~~

Wich. 1700.

PROGRAMMA,
²⁰⁰
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
RECTOR
JOHANNES PETRUS
DUENENBERG/
PH. ET S. THEOL. D. HUIUSq; PP. DUCALIS, CON-
SILIARIUS CONSISTORIALIS, ET DISTRI-
CTUS MEKELNB. SUPERINTENDENS
CIRCA
MICHAELIS
FESTUM,

O. O. O. Civibus Academicis piam angelorum reverentiam, gratamq; erga DEUM mentem iustā humanitate commendat.



[Typis JOH. W. PPLINII, Univ. Typogr.]



M. 1236 77



N rerum à Summò Dei Numine
creatarum copiâ nobis innumera-
bili esse etiam Angelos naturâ suâ
invisibiles, cujuscunqve sint ordinis
ac dignitatis & post aliorum ex
iis secessu etiam indolis, sanctissimis
Divinarum literarum indiciis pie
pariter & rectè credimus. Fatemur
verò perlubenter, non esse hunc
articulum è primariis talem, per cujus ignorantiam æter-
na salus hominis impediatur, qui prima Christianæ fidei
capita de DEO uno in Trinitate colendo, de Jesu Chri-
sto Mediatore & Conciliatore DEI & hominis verâ fide sus-
cipiendo, & reliqua ad salutem simpliciter necessaria didi-
cit, agnovit, tenet, inqve Jesu Christo suam fiduciam le-
gitimè collocans prius, quàm ipse sufficiente operâ de
angelis imbui poterat, intermoritur. Verum diffiteri quo-
qve hoc nequimus, in iis, qui sacra legunt, & legendi ac
meditandi occasionem quotidie habent, pervicaces ac de-
liberatas contra angelorum naturam disputationes, eo-
rundemqve negationem cum periculo salutis nunquam
obtinendæ certissime conjunctam esse, idqve ob fidem ipsi
DEO veracissimè omnia proponenti detractam, quippe
cujus divinum verbum hac ratione mendacii temere insi-
mulatur, & ob ingratissimum animum DEO per angelos
præclara multa & insignia beneficia largienti proterve
demonstratum. Quo nomine sicuti quondam Sadducei
invisi DEO ac piis omnibus Judæis fuere, ita post eos &
vel hodie novaturientium quidam contra angelos temere,
at successu satis infelici disputare ausi sunt. Certissimum
autem illud est, sine divinâ revelatione per solam naturam
nihil de angelis tuto constare, & nec per angelorum qui-
dem apparitiones relictam sibi rationem, nisi divini digiti
quidam accedat revelationis & confirmationis character,

ita

ita confirmari, multo minus alios confirmare posse, ut
plane exploratam sibi de angelorum existentia certitudi-
nem iuste pervadeant. Quid enim, quæso, obstat, quo
minus æque de loquentium angelorum veracitate dubi-
tet humanus animus, atque eos pro veris angelis, id est,
pro Spiritibus creatis completis, nec ullâ ratione ad ullam
materiam per naturam obligatis, ausit habere? Quid
obstat, quo minus pro separatis animabus, sive bene lo-
qui & agere videantur, sive male, ab ignaris Sacrarum
literarum hominibus excipiantur? Qui si ipsi non dixe-
rint, tales se angelos esse, unde tales affirmabimus? sin pro-
fessi sese tales fuerint, ignotis quis tuto credit, nisi credulita-
tis reus, & ad utrumque fallendi genus æque paratus? Per na-
turam igitur agere si quis velit, magno conatu nihil hic aget,
quamquam humana natura per facile ad opinionem de ange-
lis suscipiendam trahi se, aut duci etiam patiatur. Cæterum
quidquid credula ethnicorum antiquitas de vario divorum ge-
nere, de ideis, de dæmonibus, de geniis differere voluit quæ
imbecillum omne illud, & quot erroribus permixtum est?
Nulli id probationi sufficit, sed sibi gratulantur illi, si fortean
opinionem hanc suam quodammodo munire videatur sive
fortis disputator, sive orator acris, atque illud aliis pro-
babiliter tradere queat, quod sibi vel ex quadam probabi-
litate mens defensoris finxit, velex admirandis quibus-
dam operibus conjecit, vel translatum ad se est doctrina Di-
vinitus revelatâ promptè, at minus dextre hausit. Quem-
admodum vero extra sacrarum literarum divinitatem o-
mnia hic frustra sunt, ita de angelis tanta lux inde diffun-
ditur, ut malitiæ & impudentiæ se ipsum arguat & con-
demnet, contra eos disputare qui cupit. Quid enim il-
lud est, hominem esse primum Adamum suam cum conju-
ge sine socio viventem, & tamen esse quemdam Satanam
& diabolum, (his appellationibus alias generalioribus *κατὰ*
ἕξωθεν primarius cacodæmon insignitur) quem suo tem-
pore

(2)

pore

pore nondum extinctum Johannes in Apocalypsi sua vidit, antiquum draconem esse dixit, & posteris suis metuentum descripsit? Quis ille, qui fallaci draconis cute indutus extemplo loqui potuit, nullo adhibito serpentinae linguae magistro? Temere animam hic fingas separatam, qualis nulla tunc erat; temere animam divinitus creatam, nondum carne junctam fingas: qualis si fuisset, (quod tamen & ἀνεψίφως & ἀνληγείφως diceretur) unde illa ita promte mentiri, & suum aliquando futurum patrem fallere, ac DEO adversari didicisset? temere serpentes tunc loqvaces, & magis temere divinarum rerum peritos fuisse fingas, ut colloquio ita astute adornando apti fuerint. Nihil superest, nisi ut vel DEUM accuset blasphema lingua, aut spiritum completum, sed malum, concedat revelationem non contemnens anima. Apage verò hunc spiritum impurum, spurcum, malum, suae colluviei ducem, & velut patrem familias, quem propterea in ultimis Judaicae reipublicae seculis non incongruè Beelzebul dictum esse, è sacris novi testamenti scriptis accepimus, quamquam sine doctricè & facta simul ad antiquiores historias allusione non pauci interpretes Beelzebub pro Beelzebul legere consueverint. Id verò planum ex Evangelistis est, quod priore nomine omnium daemoniorum principem Judaeorum doctores vocitaverint, ubi sine ullâ mentis fluctuatione voces כמל וכול dominum domus, principem palatii, atque ita patrem familias describere existimamus, siquidem utramque vocem in isto significato sacra monumenta agnoscunt, uti pro posteriore conferri queunt 1 R. 8, 13. Ef. 63, 15, Hab. 3, 11. & in 2 apud Græcos præcipuè in N. T. sæpissime transire cognitum est. Unde nec ad Accaronitarum idolum, nec ad *δαίμονιον* quoddam in genere, nec ad stercora, nec aliorum confugiendum esse putaverim, nisi interdum lufibus eruditus veritatem comitari lubeat. Dematur autem blasphemia, & ratio apparebit, quare Verum
DEI

DEI Filium Jūdæi, partim ex virtute Beelzebul, Principis
 dæmoniorum, & Patris familias infernæ agere clamaverint,
 partim Beelzebul ipsum appellitaverint: quod scilicet San-
 ctissimus ille Noster Dominus in suorum discipulorum a-
 gmine omni ratione optima patrem familias ageret, seq̃
 in parabolis patrifamilias non raro compararet. Hinc
 ipse ait Matth. 10, 25. *Τὸν οὐκ ὀφείλω βεελζεβὴλ ἐκάλεισας,*
Patrem familias vocârunt Beelzebul: certissimum sic nobis
 relinqvens fundamentum, qvare ipsum tanto convicio ex
 infernis insanorum Spirituum claustris petito oneraverint.
 Apage verò iterum illud monstrum, licet princeps sit; no-
 men hoc illi soli maneat, simulqve id effectum maneat,
 illum Dæmoniorum principem nec animam humanam
 esse posse, & non nisi Spiritum pravum esse posse. Ad me-
 liores transimus, qvos qvàm egregie nobis descriptos esse
 voluerit, ut per alios, ita per Paulum Hebr. 1. Spiritus San-
 ctus, quis est, qui ignorat? Quo in sermone cum inter
 Theanthropon Chrittum, & angelos bonos magnam osten-
 disse dignitatis differentiam, tandem semel elevatū DEI Fi-
 lium non amplius in diaconiam salutis humanæ mitti, sed
 ad dextram DEI sedere asserit; omnes autem angelos bo-
 nos ait esse *πνεύματα λειτουργικὰ, εἰς διακονίαν ὑποστέλλόμενα,* Spi-
 ritus publice ministratorios, qui mittantur in ministeriū, & pro-
 pter illos quidem, quibus hereditas salutis futura est. Quinam
 verò illi, nisi Spiritus beati, & completi? quis enim adeò
 furiosus, ut vel brutis quibusdam animalibus tanta tribuat,
 aut pravis animabus separatis adeò sanctum ministerium
 adscribere aufit? Neqve etiam animæ separatæ sanctiores
 hoc officio fungi qveunt, cum & beatas animas ita mitti
 Abrahamus Luc. 16. 27. sqq. haud concedat, & primi ho-
 mines quoqve fuerint *ἐν οἷς μέλλουσιν κληρονομήσῃ τὴν σωτηρίαν;*
 quorum causa qvas animas separatas quis dixerit esse mis-
 sas? Et cum in oppositione ad homines angelorum na-
 turam non suscepisse Christum Spiritus Sanctus Hebr. 2,
 16. &c.

16. & homines post resurrectionem feliciorum animabus
suis instructos *ισαγγελοσ* fore Luc. 20. 36. DEI Filius affir-
met, remoto omni dubio inde emanat, alios esse angelos, ali-
os homines, aut animas humanas. Admirandum igitur
(quare enim in re luculentâ magis occupabimur?) nihi-
lominus esse, qui negitare aufint Spiritus ejusmodi, & va-
nissimo conatu *ἀγγελομαχεῖν*, ac vel contra suos ipsorum tu-
tores ingratiſſimâ mente fermocinari. Neque enim quid-
quam clarius, quam sancta beatorum angelorum pro ho-
minibus sollicitudo, siquidem & pro piis in veritate stanti-
bus militant, & pro reversis ad pœnitentiam peccatoribus
cœlos lætitiâ ac júbilo complent, & pro improbis etiam
conservandis vigiles esse, dixerim & precari non recusant.
Infantes tuentur, adultiores comitantur, senioribus opem
ferre gestiunt. Nihil est, quod non suscipiant ex divina
voluntate ac mandato, quod ulli hominum ullo modo
proficere queat. idq; non ægrè, aut invitò studio, sed hi-
lares ac læti, ac per benevolentiam omni humanitate majo-
rem, quæ ipsos movet, ut nullum nostrum cultum postu-
lent, sed multò nobis humilius loquantur, seqve conser-
vos nostros esse in gloria quoq; suâ ponant: quod inter ho-
mines rarissimum est, ubi alter alterum premere gestit, &
multi unius humanitatis & christianismi socios ne ad
commerciû quidē sanctissimorum mysteriorum admitte-
re cupiunt, tantumq; abest, ut eos pro suis conservis habeât,
ut coram DEO quoq; & Jesu Christo non fratres sed servos
suos esse, & ad pedes suos jacere, & procul hinc, procul ire
jubeant. Meliora qui sentiunt, cû angelis sentire cœperunt:
Qvos internos quoq; Cives O. O. Dilectissimi, esse cupiamus,
atqve id meditemur, ut angelis similes hic fiamus, qui ange-
lis post vitâ cupimus similes esse. Nostrû nemo esse potest,
qui de angelorum naturâ, aut de bonorum angelorum pro
nobis sancta sollicitudine dubitet: â teneris Verbo DEI ob-
temperandum, esse audivimus, fluctuantibus gentilium phi-
loso-

Iosophorum conjecturis partim remotis, partim correctis.
 Vanitati Græcæ suos *δαίμονας*, aut, si post Chalcidium lu-
 dere lubet, *δαίμονας*, & *ἥρωας* minus bene ipsi cognitos,
 Latinæque superstitioni suos Lares, Penates, ac Genios
 relinquere didicimus, & de Sanctis DEI angelis, nomen ab
 officii industriâ adeptis, quæ scripturæ sunt conformia, im-
 buti sumus. Hos nobis à DEO comites, tutores, auxili-
 atores, & observatores datos esse novimus: hos hosti no-
 stro adversari, resistere, moras objicere, impedimenta op-
 ponere, occasiones moliminum præripere accepimus: hos
 ab aëris incommodis, à sævitiâ ignium, à bellorum
 crudelitate, à tyrannorum injustitia, ab hostium persectu-
 tionibus, ab inimicorum invidia nos sæpissime præservâsse,
 exemplis Scripturæ inducti credimus. Adsunt illi nobis,
 nostrisq; intersunt negociis, nec raro nostris se cogitatis in-
 sinuant, & meliora consilia commendant, quam umquam
 invenissemus. Nos ergo tales esse studeamus, quibus illi
 semper adesse queant: virtutes illorum æmulemur, & ve-
 lut præsentis quosdam factorum nostrorum censores re-
 vereamur. Illi quidem non nisi ministri sunt Numinis su-
 premi; at nec in ministrorum conspectu perpetrandum,
 quod in tanti Domini contemptum abit, præsertim cum
 nec illorum Dominus sit absens. Graviter quondam Epi-
 ctetus: *Cum fores clauseritis, & conclave tenebrosum effeceritis,*
caveite, ne umquam dicatis, vos esse solos: Neq; enim estis. Sed DE-
us intus est, vester genius intus est. Nec minus graviter im-
 misit licet fabulosis Hesiodus præ sapientibus Græcis
 longè antiquissimus, ipsorum quoq; regum monitor:


*O Reges, ipsi quoq; vos perpendite recte
 Justitiam: prope enim mortalibus accedentes
 Sunt immortales, cernunt, qui jure sinistro
 Se (vab turpe!) terunt spernentes numina divum.
 Ter decies etenim mille in tellure feraci*

Supra

*Sunt immortales, vigiles mortalibus omnes,
Judiciisq; attendentes factisq; malignis:
Nocte quidem cincti, terras tamen undiq; visunt.*


Nolim allegare Christianos frequentissime gravissimeqve hanc angelorū præsentiam memoriæ nostræ repræsentantes. Unus audiatur, quo nemo gravior, omnium Christianorum Princeps DEI Filius: illum hodie audiemus adeo ab omni injuria homines retraxisse, ut nec infantes, qui de injuriâ ore suo conqueri haud queunt, contemni voluerit, additâ hac ratione: *dico enim vobis, angelos ipsorum in caelis perpetuo videre faciem Patris mei, qui in caelis est.* Nemo nostrum fidele hoc monitum negligat: omnes in omnibus angulis timeamus angelorum utriusqve indolis præsentiam; multo autem maxime Deum ipsum, & malorum Spirituum Victorem, bonorumqve angelorum Rectorem Jesum Christum, Angelum divini fœderis, & vel Michaële angelo majorem Michaëlem vereamur. Ac vos præfertim, Dilectissimi Cives Studiosi, studete vitare dissidia, & fugere malorum illecebras; angelos voluptatibus minus permissis repellere, Deumqve ipsum, & Vestrum Servatorem à vestris studiis abalienare nolite, sed ex variis horum temporum exemplis tandem aliquando, vestrum quotqvot hucusqve tepidiores fuerunt, prudentius, modestius, sanctiusqve ut agatis, propitio DEO vobiscum paciscimini, ac nobiscum DEO hodie & in posterum gratias omnes agite de avertis horrendis periculis & vicinorū bellorum, & caritatis tremendæ, et necis repentinae, sine DEO & angelorū custodia si fuisset, facile, varieq; obrepturâ, tandemqve pro salute Christiani Orbis, Nostræq; Scholæ, & omnium ei multâ ratione conjunctorum incolumitate cœlos precibus fatigare mementote.

P.P. Sub Sigillo, Rectoratus iplo Michaëlis Festo
Anno clō lccc,



lophorum conjecturis partim remotis, p
Vanitati Græcæ suos *δαίμονας*, aut, si pos
dere lubet, *δαίμονας*, & *ήρωας* minus be
Latinæque superstitioni suos Lares, Pen
relinquere didicimus, & de Sanctis DEI ar
officii industriâ adeptis, quæ scripturæ fut
buti sumus. Hos nobis à DEO comites,
atores, & observatores datos esse novimus
stro adversari, resistere, moras objicere, in
ponere, occasiones moliminum prærip
hos ab aëris incommodis, à sævitiâ igniu
crudelitate, à tyrannorum injustitia, ab h
tionibus, ab inimicorum invidia nos sapi
se, exemplis Scripturæ inducti credimus.
nostrisq; intersunt negociis, nec raro nostr
finuant, & meliora consilia commendant,
invenissemus. Nos ergo tales esse stude
semper adesse queant: virtutes illorum æ
lut præsentis quosdam factorum nostroru
vereamur. Illi quidem non nisi ministri
premi; at nec in ministrorum conspectu
quod in tanti Domini contemptum abit,
nec illorum Dominus sit absens. Gravit
ctetus: *Cum fores clauseritis, & conclave tene*
caveat, ne umquam dicatis, vos esse solos: Neg
us intus est, vester genius intus est. Nec mi
mistis licet fabulosis Hesiodus præ sapie
longè antiquissimus, ipsorum quoq; regun

O Reges, ipsi quoq; vos perpendite
Justitiam: prope enim mortalibus
Sunt immortales, cernunt, quæ jure
Se (vab turpe!) terunt spernentes
Ter decies etenim mille in tellure fe



ectis
n lu
itos,
nios
n ab
im-
xili-
no-
op-
nus:
um
ecu-
vâs-
obis,
s in-
vam
s illi
c ve-
re-
s fu-
lum,
cum
Epi-
nis,
IDE-
rim-
æcis

Sura